


OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM
partim ab Autore
DIOMEDE CORNARIO,
partim ab alijs doctrina & eru-
ditione excellentissimis viris
annotatae praemeditationes,



*Similiter, quemadmodum in consilijs dispo-
sitio facta, iuxta annorum seriem,
scripta.*



r

3
OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM PRÆ-
MEDITATIONES.

De calculis pedum.

CAPVT I.

I OANNES KENTMAN-
NVS Medicina Doctor in
tractatu de calculis, anno
1565. edito, cap. 12. descri-
bit calculos in extremitatibus
digitorum pedum natos. Anno 1566. quando
Tirnavia praxim Medicam exercerem, vidi
ego DIOMEDES CORNARIVS ex pol-
lice pedis dextri per Chirurgum exemptos albos
lapides generoso domino Christophoro OrtZagk
Hungaro podagrico, ad quem tum temporis
infirmum vocatus eram. Idem dominus per
multos annos, ex inordinata victus ratione:
casei nimirum veteris, fructuum autumnalium,
peponum, & piscium esu, ac vini potentis
potu: hoc ei aliquoties contigisse fatebatur.

Y 2

De

De calculis intestinorum.

CAPVT II.

Uòd calculi inter intestina generen-
 Q tur, testatur idem JOANNES
 KENTMANNVS Dresdensis
 Medicus cap. 9. Huiusmodi exemplum ego
 DIOMEDES CORNARIUS in Baden,
 quod oppidum 4. milliaribus abest à Vienna,
 contigisse memini. Nam dum quidam vir ther-
 mis Badensibus uteretur, ut inde calculi dolo-
 res, quibus affligebatur, mitiores redderentur,
 insperatò per aluum lapidem albicantem fabæ
 magnitudine excreuit.

De quartana febre.

CAPVT III.

Xperimentum securum ac secretum,
 E quod mihi ab amico haud vulgari
 olim communicatum fuit, de quo ego
 DIOMEDES CORNARIUS nec legi, nec
 quicquam audiui unquam antea, memini ante
 ali-

aliquot annos me concredidisse etiam soli PETRO MONAVIO Caesaris aula Medico, amico meo, ut fatetur ipsemet in Cratonicis epistolis à D. LAVRENTIO SSCHOLZIO in octavo, anno 94. Francofurti editis, folio 597. nemini aliàs, quod sciam, hoc manifestaui, nimirum laboranti quartana febre exhibeamus in ipsa paroxysmi inuasionem, seu febrilis accessionis principio, tertiam cordis leporis pulverisati partem in vino albo claro, vel aqua carduibenedicti calefacta dissolutam, atq; hæc exhibitio ter hoc pacto repeti debet, nempe in reditu secundi, & tertij paroxysmi. Post huius pulveris assumptionem Quartanarius in lecto probe tectus per unam, aut alteram etiam horam sudare debet, inde paulatim mitiores subsequenter accessiones febriles, vixq; ultra tres vices amplius inuadent. Cor autem leporinum preparetur in officina pharmacopola diligenter, verbi gratia: R. cor leporis recens in campi, aut agri alicuius venatione, non in hypocausto, aut simili aliquo loco capti, seca in

6 OBSERVAT. MEDICINAL.

*lata frustula, quæ vino albo odorato probè laua,
 ut æstivo tempore in Sole: hyberno verò iuxta
 fornacem calefactâ paulatim, non subito, com-
 modè exsiccentur, exiccata frustula contunde,
 cribra, diuide in tres æquales partes, & utere, ut
 paulò superius annotatum est. Sed Medicum
 oportet accuratè sollicitum esse de vniuersalium
 præmissione, aliàs inefficax erit hoc, quantumuis
 feliciter expertum, remedium, nempe ægrotus
 quartana febre laborans, utatur lenitino quo-
 dam medicamento, syrupis, decoctionibus her-
 barum, radicum, seminum huic proposito in ser-
 uientiũ, postmodum euacuetur. Atq; huiusmodi
 corporis preparatio semel atq; iterum iteranda
 erit. Nec verò à phlebotomia abstinendum, sed
 quemadmodum à peritis Medicis, ut de me ta-
 ceam, JOANNE MICHAELE SAVO-
 NAROLA, BENEDICTO VICTORIO
 FAVENTINO, IVLIO ALEXANDRI-
 NO, IOANNE CRATONE, HIERO-
 NYMO CAPIVACCIO, PETRO PAV-
 LO PEREDA Medico Hispano, & alijs mul-
 toties*

toties haud absq³ Quartanariorum conuale-
 scentia obseruatum fuit, incidatur saluatella si-
 nistra manus, aut etiam, obstante impedimento
 aliquo, in brachij sinistri vena splenetica, in ipsi-
 us nouilunij puncto. Elapso mense uno iteretur
 huiusmodi vena sectio. Nam febris hac chronica
 est, non acuta, quae moram ferre nequeat, iuxta
 vulgare prouerbum: Noli metuerе quartanā,
 quia non facit pulsare campanam. Licet autem,
 ut expertis in actu practico Medicis notū est,
 hac febris difficulter admodum aliās ope medi-
 ca curari possit, quum sit contumax: Tamē me-
 diuino auxilio multos a quartana his duob. mi-
 nimē negligendis auxilijs sanitati restituisse, af-
 firmare ausim. Eius verō in curando, seu potius
 sanando contumaciam memini A. C. 1566. re-
 latam in quadā consultatione pro Barone quo-
 dam quartanario instituta, cui vnā cum Jo-
 ANNE CRATONE & ego DIOMEDES
 CORNARIUS intereram, a IVLIO ALE-
 XANDRINO Imperatoris Medico, cuius rei
 historiā facietam sanē pro Lectoris recreatione
 sub-

subiungere placuit: In quadam amœna domo,
referebat nobis denominatus ALEXAN-
DRINVS, erant depictæ omnis generis febres,
quæ singula corâ Medico astante genua flecte-
bant, excepta sola bestiali & maledicta quar-
tana, quæ hoc minimè præstabat, verum salua
venia posteriorem corporis partem Medico
ostendens, se Medicorum qualiacunq; præsidia
reijcere ac floccipendere, præ se ferebat. Hac ille.

De febre continua, Hungarica
vulgò dicta.

CAPVT IIII.

Enerosus quidam dominus, in Mo-
G rauia habitans, incidit in febrem con-
tinuam, inter cetera communia sym-
ptomata, aluo existente adstricta, antequam
me, pro suscipienda cura, ad se in Morauiam
vocaret, missis cum curru coriaceo sex equis,
consilio malo, cum extremo vitæ suæ periculo,
cuiusdam Anabaptistæ Pseudomedici, quem ibi
propè habebat Subditum, interea usus fuit.
Mihi

Mihi aduenienti, quae nunc sequuntur, referens: Ecce inquit domine Doctor CORNARI, bestialis N. Anabaptista dedit mihi unam purgationem (ut huius viri originalibus verbis utar, seu adscribā) quae fecit mihi ultra centum sedes. Ecce, dicebat amplius, sequenti die misit mihi sanguinē ex brachio dextro, circiter libras quatuor, uti apparebat ex sanguine in pelui reservato. Postquam ex huius agroti apud me instantia & rogatione peruestigando serio inquirerem de Anabaptistici medicamenti purgantis exhibitione, ex qua materia preparatū fuisset illud, respondit mihi, quamuis inuitus, ille Pseudomedicus, se exhibuisse suo generoso domino electuarium lenituum à pharmacopœis vocatum, quod Vienna coëmerit. Ego intelligens medicamenti relati securitatem, ulterius inquisivi, inquit: Hoc esse benedictum ac securum remedium, ac compositionem innoxiam, necesse esse, ipsum quoddam aliud maledictum admiscuisse dicto electuario medicamentum, seu venenum potius. Tunc Agyrta respondens, liberè

Z

fate-

fatebatur, non negabat, se adieciſſe duntaxat
(ecce Anabaptiſta hominis perfricta frontis ma-
liciam) grana duodecim antimoniij. Atq; hoc
pacto per hunc pernicioſum, ineptum ac letife-
rum curationis imò mortificationis proceſſum,
exhaustis corporis viribus peſſimè tractatus
vir generoſus decubuit miſerrimè, quem ana-
lepticis ego remedijs, inſtituta etiam bona dia-
ta, auxiliante DEO uſq; ad 14. diem ſuperſti-
tem conſervabam, donec nutu Dei vitam tan-
dem cum morte commutaret.

De febre ardente cum phrenitide.

CAPVT V.

Iles quidam rediens ex Sackmair Vi-
M ennam, menſe Iulio, anni 1580. ori-
undus ex Voitlandia, propter nimi-
um vini immaturi acidi potum raucedinem,
contraxerat, à qua ſe facile liberari poſſe, ſi
maluaticum biberet, arbitrabatur. Itaq; poſt-
q̃ die quodam in magna quantitate euſmodi
potens vinum Italicum ſitibundus circiter duas
ferè

ferè Viennenses mensuras, seu octo libras, potasset, sequenti die in febrem ardentem cum phrenitide coniunctam incidit, pauca loquebatur, aliquandò ridebat absq, omni occasione oblata, aderat pectoris angustia, lingua ariditas, vigilabat perpetuò, sudabat frigidum sudorem diaphoreticum, ex quo sudore tertio die miser periit.

De febre epidemica populariter per
vniuersum orbem terrarum grassante.

CAPVT VI.

Nno Christi 1580. mensibus Julio,
A Augusto, & Septembri febris inuasit
in diuersis locis ac regionibus inopinatò infinitam hominum multitudinem, ex defluxionum genere, diuersa causans symptomata. Nam indifferenter & infantes, & adolescentes, & virgines, & viri, & mulieres horrore, calore praternaturali, oculorum nonnulli dolore, catarrho, raucedine, lingua
Z 2 asperi-

asperitate, capitis doloribus, vigilijs, tussi, siti, pectoris angustia, nausea, totius corporis lassitudine, & similibus symptomatibus, ut quasi ebrij incederent, correpti sunt. Aliquibus sudor spontaneus in morbi principio, absq; causa manifesta, cum aluo adstrictiore superuenit. Sed quantumuis symptomata relata satis periculosa, fuerint multis molestissima, pauci tamen horum agrotorū obierunt, plerisq; in biduo, alijs triduo, alijs quatrduo, alijs citius, alijs tardius, etiam sine ullo nonnunquam medicamentorum usu, liberatis, ac sanitate pristina restitutis. Precesserat mense Iunio aëris constitutio vehementer humida, pluuiosa, et subfrigida, qua usq; ad mediū mensem Iulium constanter perseuerabat, quo tempore sicca aëris temperies cū subitaneo Solis feruore secuta est, qua etiam nū per aliquot septimanas durauit, ac procul dubio huic morbo epidemico occasione haud minimā prae-buit. Nonnulli autem & medicamentis, & vena sectione, ij praesertim, quorum corpora cacochymica erant, feliciter usi fuerunt, ac euaserunt.

De

De muliere, quæ tempore puer-
perij loquelam amiserat.

CAPVT VII.

Nno Christi 1584. mense Octobri
A IOANNES AICHOLTZ, & ego
DIOMEDES CORNARIUS
vocabamur ad mulierem ætatis suæ 36. anno-
rum, quæ die quinto post puerperium ex impro-
uiso loquelam amiserat, quia nihil aliud, nisi ita,
& non, Germanica lingua, quamuis difficul-
ter, proferre poterat. Mens aliàs benè consta-
bat. Nulla ira præcessit, sed vinum potens satis
copiosè bibit, & infantem proprium violenter
cum quadam coactione lactare conata fuit, licet
lactis mamillarum parum admodum haberet,
vnde nerui recurui seu recurrentes vocati ab
Anatomicis, qui loquelam seu vocem formant,
lesi erant (sunt autem sexti paris neruorum)
septimum par non erat laesum, quia linguam &
mouere, & exerere absq; difficultate facîle pote-
rat. Eius complexio aliàs erat phlegmatica, ha-

Z 3 bebat

bebat caput humidum, quæ pituitosa humiditates, quum non potuerit durante puerperio deambulare, per aliquot dies in cerebro retenta fuerunt, tandem ad laryngem destillarunt, cuius operculum debilitarunt, ut loquelæ impedimentum superueniret. Consulebamus ergo ambo, ut nunc, quia adhuc menstruabat, à medicamentis abstinere, & bona diætâ uteretur. Cibi cum pipere, Zinzibere, cinamomo, gariophyllis condiantur. Mastice frequenter nucem muscatam, aut gariophyllum. Nam huiusmodi masticatio expuendi crassum phlegma occasionem preparabit. Vitet vini potum, quod materias crudas ulterius ad caput seu ipsum cerebrum defert, cuius loco bibat aquam medicatam cum se. anisi, galanga, pipere, Zinzibere, cinamomo, & liquiritia. Post octiduum postquam menses fluere forsân cessauerint, vel post plenilunium purgetur aliquo lenituo, ut cassia cum sp. hiera s. Gal. mixta, vel cum pul. sena preparata, vel el. lenituo. Deindè utatur decocto herbarum melisse, betonica, chamomilla, salvia,

nia, rosmarini, iuxta artetica, hyssopi, addendo syr.
de betonica, de stœch. oxymel. s. per aliquot dies,
donec humores preparati fuerint. Tandem
cum pilul. cochijis, vel infus. rhabarbari &
agarici, cum additione el. Jndi maioris euacue-
tur. His præmissis utatur balneo, ut solent pu-
erpera, in quo sudet per $\frac{1}{2}$ horam duntaxat, &
per horam unam ante ingressum balnei sumat
dr. j. mithridati, postmodum utatur cucurbi-
tulis. Metuendum erat, eam vix restitui posse
sanitati ante vernum æquinoctium. Sed laus
Deo in 14. dierum spacio conualuit, & conse-
quenter adhuc per multos annos absq. impedi-
mento rectè locuta fuit.

De loquelæ amissione.

CAPUT VIII.

Obilis vir anno ætatis 45. ex crebris
N potationibus, iracundia, & extremo-
rum refrigeratione, apoplexia corre-
ptus est, ita ut mutus per triduum decumberet
apertis oculis, sed dextrum brachium nec liberè
cleua-

eleuare, nec mouere, quemadmodum etiam pedem dextrum poterat. Post chysteris usum, & circa nucham vñtionem cum unguento Martiano, loqui iterum cœpit, licet nonnunquam lingua eius inuoluntariè impediretur. Conualuit, multis licet diebus pòst molestos circa aurem dextram tinnitus & sibilos inconsuetos aliàs perceperit, qui etiamnum temporis progressu remiserunt.

De quodam Angina latente
correpto.

CAPVT IX.

Angina corripiebatur Chirurgus quidam, qui postquam in nouem dierum spacio, licet nullum remedij genus huic affectui conueniens ab accersitis Medicis IO- ANNE AICHOLTZIO, & me DIOME- DE CORNARIO intentatum fuerit, nihil ferè cibi, nec potus quicquam, nedum aliquid medicamenti deglutire posset, immatura morte per famem periit miserrimè, mente & sensibus inte-

integris permanentibus, cuius defuncti gulam D. Aicholtz, secuit, quae tumefacta internè conspiciebatur (nam ipso viuente nullus nec extrorsum, nec introrsum tumor apparebat) cum vitreae pituitae, frigidi, craffi, tenacis, viscidi humoris copiosi collectione circa laringem prope os hyoidis, iste tumor eius gulam coarctauerat, quò minus cibi ac potus liber transitus fuerat, quamuis respiratio impedita non erat adeò vehementer, ex qua mortis periculum imminere potuisset.

De veterno, ac sex dierum ieiunio.

C A P V T X.

Rtium liberalium studiosus anno aetatis suae 14. ex animi mœrore, quem ex discessu fratris sui genuini, cum quo à pueritia familiariter vixerat, ad quandam Academiam studiorum gratia, contraxerat, in veternum, quem morbum Medici inexpugnabilem dormiendi cupiditatem nominant, incidit

A a

pro-

profundissimo somno correptus. Decubuit autem per sex dies ac totidem noctes continuas quasi semimortuus absq. loquela, in quo temporis spacio, nec panis micam, nec potus guttulam ullam assumpserat, tandem septimo die à somno spontè excitatus cœpit appetere cum grandi desiderio ac appetitu incundo lac vaccinum, quo etiam antea sanus existens frequenter vesci solitus fuerat, cum saccharo coctum, actu frigidum, ut cum albo pane in lac infuso comederet, sed exiccatis faucibus, ex tam diuturna victus abstinentia, deglutire hoc haud potuisset, nisi aqua tepida cum modica aceti admixtione, gulam gargarisasset, quo gargarismo repetito aliquoties, paulatim melius deglutire, & lac, & alios cibos ac potus denuò assumere facilius potuit. Sanatus superstes in hodiernum diē viuit.

De aquæ venenatæ potu.

CAPVT XI.

A Dolefcens ætatis 16. annorum, postquam aquam frigidam in Sylua bibisset, in qua serpens venenatus natauerat,

rat, intumescere cepit eius & facies, & abdomen totum cum delirio, qui exhibita theriaca ponderis dr. j. in aq. scordij vnc. ij. post sudorem à tumore liberatus euasit.

De cancro in labro inferiori

oborto.

CAPVT XII.

Enex quidam Germanus apprehensa
 S fortè fortuna cuticula tenui inferioris
 labri dentibus, quam externus aër frigidus à reliqua cute separauerat, vlcusculum, cancrorum in labro contraxit, quod succisuius diebus pedetentim expandebatur, adeò ut mentum occuparet, inde serpendo ad gulã usq; perueniret. Interea accersitis Medicis: HIERONYMO STROMAIERO Medico Casareo, JOANNE AICHOLZIO, & me DIOMEDE CORNARIO, admonitus tempestiue huic malo succurrendum esse, ne ipsi deterius quid accidat, praesertim animaduertens, localia remedia applicata ab Empiricis, haecenus parũ

Aa 2

utili-

utilitatis attulisse. Quare consilio dato, per sectionem nimirum curationem tentandam esse, aut per unctionem, ac nisi alterutrum tentetur auxilium, periculum vite sibi inde imminere, ac ipsam mortem metuendam. Sed Medicis obtemperare nolens, respondit verbis Germanicis: Er sey ein redlicher Mann / habe nichts böses verschuldet / er laß sich nicht schneiden / viel weniger prennen oder sengen. Atq; ita spre-
tis ac posthabitis Medicorum consilijs salutari-
bus, miserè volens perijt.

Vulnerato quomodo succurren-
dum, vt eius vulnus saltem per ensis vn-
ctionem consolidetur.

CAPVT XIII.

Descriptio olei polypharmaci præscri-
ptione domini MARIANI STE-
PHANELLI Medici Pa-
tauensis.

R. flor. ligustri lib. j.

primu-

PRAEMEDITATIONES.

22

primula veris c. radicib. M. j.

oculorum populi lib. j. s.

(Hæc colliguntur mense Martio, vsq³ ad totum
Aprilem.)

R. Violarum purpurearum M. ij.

cheirorum M. j. s.

liliorum luteorum

alborum an. M. j.

rosarum rubearum

albarum an. M. j. s.

saniculi

herb. trinitat. an. M. v.

dictamni albi

pentaph.

mercurialis masc. & fœm.

salvia

consolida media an. M. iij.

(Hæc colliguntur mense Maio, & Junio.)

R. rorismarini

ruta

quinquefolij

verbena

Aa 3

bursa

bursa pastoris
foliorum liliorum alborum

anethi

centrigalli, id est, betonica sylvest.

betonica

volubilis

ebulorum

radicis valeriana

peruinca

plantag. maior. & minoris

laureola, i. e. plantag. masc. an. M. j.

florum & sem. sambuci

flor. calendula

chelidonij

hederæ

apij an. M. j.

millefolij M. vj.

absinthij M. iij.

(Colliguntur hac per totam caniculam, &
in fine caniculæ)

R. agrimonie M. ij.

abrotani

menta

PRÆMEDITATIONES. 23

menta Græca

communis

hyssopi

pulegij cum floribus

fol. lauri

origani

calamenti

centaur. maioris

minoris

leuistici an. M. s.

iua

plantæ Siciliæ

scabiosæ an. M. iij.

radicis consolida maior. M. ij.

consol. minor. M. iij.

morsus gallinæ M. ij.

fabæ crassæ

inuersæ

vermicularis

umbilici Veneris

semperuiui an. M. j.

flor. genistæ M. ij.

chamo-

chamomilla M. iij.

cynoglossi

ophioglossi

ceterach

solatri, id est, uva canina

meliloti

potentilla

flor. iasmini

granatorum an. M. ij.

hypericonis M. xv. cum suis seminibus
maturis, & immaturis, & quanto plus, tanto
melius de hac herba hypericone cum seminibus
infundatur.

In autumno

R. rad. dictamni albi vnc. j. s.

acori vnc. iij.

ireos vnc. v.

tormentilla vnc. j.

aristol. longa vnc. iij.

camadrios

chamapiteos

bryonia an. M. j. s.

chario-

chariophyllatæ M. j.

per totum mensem Septemb.

R. momordica, id est, balsamina, cum
fol. & pomis M. xv. & quantò plus, tantò me-
lius, sicut sup. de hypericone dictum est.

In principio hyemis

R. aloës unc. iij.

myrrha electa unc. v.

masticis unc. j. s.

galbani

styracis calam.

sarcocolla

mumie

spica nardi

ladani

licij

xylobalsami

carpobalsami an. unc. j.

sang. dracon.

boli armeni an. unc. iij.

euphorbij unc. s.

thuris albiß.

Bb

gum-

gummi elemi
 ammoniaci
 oppopanaci
 serapini an. ꝰnc. iij.
 bdellij
 dragacanthi
 gummi Arabici an. ꝰnc. j. s.
 terebinth. lib. x.
 resina pineæ ꝰnc. ix.

misceantur, & incidantur suis temporibus om-
 nia s. a. & præparentur præparanda, macera-
 tione, vel trituratione, & ponantur in libras
 xxx. olei cõmunis in infusione à primo die equi-
 noctij, usq; ad solstitiũ hyemale, & semper quan-
 do aliquid additur, omnia commisceantur, ut
 fiat optima commixtio, vel etiam hoc fiat quo-
 tidie semel, & in fine sequentis diei æquinoctialis
 temporis, tota ista massa cum oleo bulliat parũ,
 deinde fiat fortis expressio, quod si fiat in setaceo
 raro ex funibus, melius erit, ut substantia crassa
 gummosa exeat, & residentia iterum humecte-
 tur cum oleo communi, & bis, aut ter fortis fiat
 expres-

expressio, ut tantum terrestris subsideat materia, postea in fine facta expressione

R. croci unc. ij.

camphora unc. s. misceantur, & dissoluantur cum aqua ardentis lib. semis & ilico imponantur in supra dicto oleo expresso, & asseruentur osculo bene munito, & insolato sole per duos menses ad minus preseruentur, & post mensem ab insolatione poterunt esse in usu ad vulnera consolidanda, breuissimo temporis spacio, nempe vnius dici, ad frigidos abscessus, & omnia exeuntia frigida, item in arthritide, & quod miraculosum est, vulnera absq. sutura breuissimo tempore consolidat & conglutinat.

Aliud vnguentum vulnerarium.

R. pinguedinis apri sylvestris antiquissimi unc. ij. pinguedinis vrsi antiquissimi unc. j. vini rubri stiptici q. s. bull. simul omnia lento igne s. a. postea effundantur in catinum plenum aqua frigida, quod supernatat, bene abluatur, & a pelliculis emundetur, cui adde v. g.

Bb 2

R. san-

R. Sandali rubri puluerisati unc. s. lumbricorum terrestrium vino ablutorum, exicatorum, & puluerisatorum dr. iij. lap. hematitis puluerisati dr. ij. cranij humani puluerisati dr. j. mellis fini & purissimi unc. ij. contundantur & agitentur simul omnia in mortario calido, donec refrigescant, postea imponantur in vase testaceo vitreo. Quod si unguento multò duriora & sicciora videbuntur, addatur mellis, vel potius resina terebinthina unc. j. misce. Hoc unguento ensis, vel baculus, quo aliquis percussus fuit, illinatur.

Aliud.

R. adipis apri unc. ij.
 ursi s. sale unc. j. s.
 pulu. lumb. terr.
 sand. rub.
 lapid. hemat. an. dr. j. s.
 musci ex ossibus defunctorum dr. s.
 misceantur, & incorporentur omnia simul pro linimento, quo vulneratorum arma inungantur.

De

De casu cum equo.

CAPVT XIII.

Eciderat quidam cum equo, in quo casu utrunq; pedem offenderat, sinister pes circa genu apertus & quasi vulneratus: dexter vero contusus duntaxat apparebat. Chirurgus imperitus ex unguenti de cerussa, boli armeni cum aceto permixti, & aliarum rerum nimis frigidarum applicatione, nulla premissa interni medicamenti exhibitione, quod sanguinem ex casu concretum in corpore attenuasset, nedum phlebotomia adhibita, effecit, ut non pedes duntaxat ambo, sed & virile membrum, & abdomen, & pectus, & tota agroti facies, cum inflammatione, cumq; pustulis rubicundis vehementer prurientibus intumescerent. Ex isto pedum tumore, doloribus, ac cutis pruritu, vigiliae superueniebant perpetuae, cum quodam inopinato brachiorum tremore, ac quasi convulsione. Atq; nisi post dies aliquot peritior & Medicus, & Chirurgus in consultatio-

Bb 3

nem

nem adhibitus fuisset, vita istius egroti periclitata esset. Nam post enematum applicationē, lenitui item medicamenti, ac syruporum exhibitionem, premissa etiam phlebotomia, dictae pustula sponte eruperunt, ita ut & ex pedum, & ex pectoris, & ex faciei cutaneis illis pustulis foetidus, biliosus, mordax humor copiose efflueret, quod symptoma unā cum reliquis supra relatis accidentibus, partim Medici, partim Chirurghi diligenti cura sanatum est.

De casu de tecto,

CAPVT XV.

Ecidit quidam de tecto, & offendit capitis partem sinistram anteriorem, ubi tumor pugni instar statim post casum oboriebatur. Vocati Medici IOANNES AICHOLTZ, & ego DIOMEDES CORNARIUS ordinabant ei chysterem, deinde venae sectionem in eiusdem lateris brachio mediana vena. Post venae sectionem tumor paulatim evanuit, cui loco affecto nihilominus applicaban-

bantur fomentationes ex decocto malua, chamomilla, althea in vino facto, quia cutis cranij est pars frigida, praeterea imponebantur capitis tumori emplastra exiccantia (dör bande) Sed patiens clausis oculis per horas 45. mutus decubuit, nisi quod in epilepticis paroxysmis, qui subinde superueniebant, aliquando oculos apertos teneret. Tandem loqui iterum cum admiratione sui ipsius incipiebat, nullum amplius dolorem percipiens, sed memoria eius laesa erat. Lambendo aliquando utebatur oxymel s. &c. Conualuit.

De calculo è muliebri pudendo,
absq; sectione extracto.

CAPVT XVI.

Uòd vesica calculus non in viris duntaxat generetur, verum etiam in mulieribus aliquando generatus grauissimas molestias cum doloribus intensissimis afferat, manifestum est. In virili autem corpore non aliter, quàm per sectionem eximi potest:

Jn

*In mulieribus verò per instrumenta aliquan-
dò ferrea artificialiter extrahitur, quemadmo-
dum hoc ab HIERONYMO STROMAIR
Imperatoris RUDOLPHI II. Physico &
Chirurgo in nobili matrona Viennæ præstitum
fuit, cui iam grandæus annus ætatis suæ sexa-
gesimum nonum agenti, absq. sectione calculum
vnius oui gallinæ instar exemit, ponderis un. ij.
& dr. ij. Atq. ita citra omne periculum ma-
trona hæc nobilis à calculo liberata fuit, propter
quem maximos perpeffa cruciatus, multos dies
ac noctes insomnes per aliquot annos transege-
rat. Postmodum per annos tres adhuc cum
mitioribus doloribus vesica supervixit.*

*De calculis in vesica ruptis, &
mictu sanguinis.*

CAPUT XVII.

*In quidam annos natus 48. ex pisci-
um ac casei esu, exq. vini rubei largio-
ri potu ixxeia, idest, urinae retentio-
ne seu suppressione, per septem dies ac noctes
conti-*

continuas laborabat, absq^{ue} insigni quidem circa inguina dolore, qui potius circa renes & dorsum ipsi molesti erant. Intermedio tempore, quamvis varijs ex meo consilio, partim internis, partim externis remedijs usus fuisset, tamē nec urinare, nec dolorum mitigationem ullam percipere potuit, donec thermis Mainersdorfensibus, quae à Vienna 4. miliaribus absunt, uteretur. Nam postquam per biduum his insedisset per intervalla, in octavi diei aurora subito cum impetu quodam, serosam, turbidam, crassam urinam mingere, atq^{ue} simul cum urina valdē copiosa ad libras sex, aliquot calculi fragmenta acutissimos angulos habentia excernere coepit, quorum aliqua cicerum, aliqua pisorum instar erant, indē paulō melius habebat. Deindē sequentibus tribus diebus aliquantulum tenuiorem urinam ad quinq^{ue} Viennenses mensuras, id est, lib. xx. postmodum sanguinem atrum ac crassum per dies multos mingebat. Tandem iterum lapis unius fabae magnitudine, coloris cineritij, cum quadam rubedine tinctus,

Cc

vnā

una cum sanguinis mictu, ipsi exiliebat, nihilominus interea thermarum usum continuando, Deo dante, sanatus est.

De calculis pulmonis.

CAPVT XVIII.

Vidam mense Octobri per vehementem tussim reiecit e pulmone calculos duos asperos, subduros, albicantes cum glaucescencia quadam, pisorum magnitudine, quos GEORGIVS VVALTHERVS serenissimi Archiducis ERNESTI Physicus, Ego DIOMEDES CORNARIVS vidimus. Et quia iste infirmus hydropicus simul, ac phthisicus erat, expirauit.

De vesicæ calculo grandis magnitudinis in puero 11. annorum.

CAPVT XIX.

Ver undecim sue ætatis annorum mense Martio, per HIERONYMVM STROMAIR secabatur calculo vesica

*sica laborans, presentibus Medicis IO ANNE
A I C H O L T Z I O, & me D I O M E D E
C O R N A R I O. Lapis extractus erat colore
rubicundus, ponderis lotonum sex. Conualuit.*

Intestinorum, & vesicæ perfora-
tio per anum facta.

CAPVT XX.

*Uidam ciuis Viennensis, postquam
Q apud quendam amicum suum ex lar-
gioris vini potu inebriatus esset, & ad
exonerandum aluum ad locum quendam, ubi
spinosa ligna cumulata erant, se conferret, ex
improuiso retrò cadens, frustum ligni (cuius
crassities erat instar digiti minimi: longitudo
verò duorum digitorum) in suum intestinum
rectum, & ulterius penetravit, ità ut etiam
vesicam perforauerit, deinde sanguinem per al-
uum, & per meatum urinarium excreuit, ac
sequenti vespere obiit.*

Cc 2

Vrinæ

Vrinæ retentio ad 14. diem.

CAPVT XXI.

Ir annorum suæ ætatis 36. licet temperantem se gesserit in sex rebus non naturalibus, per multos annos, nisi quòd curis varijs obrutus ad melancholiam, vehementer dispositus esset, die 31. Januarij, anno Christi 1584. mingere desijt, aliquando tamen in quatuor, nonnunquam in 5. dierum spacio guttulas 3. vel 4. aquosi sanguinis absq; ullo dolore mingebat. Utebatur nihilominus ex meo consilio enematibus, purgationibus, decoctionibus aperientibus, pulueribus diureticis, unctionibus, cataplasmatibus, hemicupijs, balneis herbarum. Tandem 13. Februarij die spontaneo fluxu sanguinis narium corripiebatur, satis copioso, qui ipsum valdè debilitauit, sequenti die, absq; ullo dolore mingere iterum cœpit ad lib. quinq; aquosam urinam, & sic consequenter reliquis diebus urinam crassam ac purulentam reddebat, quæ in toto venoso genere, seu
vena-

venarum ambitu haftenus latuerat. Nam in vesica nihil, aut parum urina collectum fuisse, extrorsum tactu deprehendebatur, quia nulla durities, nec ullus tumor, aut inflatio circa vesicae regionem apparebat. Tandem à quodam Emperico imperito sumptis medicamentis maledictis, s. iudicio administratis, obiit.

De vertigine, cui veternus superuenit.

CAPUT XXII.

V Ir nobilis vertiginem percipiebat, postquam per multas praecedentes noctes parum dormiisset. Balneauerat nudius tertius in solio aqua dulcis, in quo per tres ferè horas continuè dormierat, aliàs in crapula & ebrietate frequenter vixerat. Vertiginem statim sequebatur manuum & pedum tremor, aderant brachiorum conuulsiones, lingua resolutio, paulò post nihil amplius loquebatur, verno correptus toto die mutus decumbens,

Cc 3 occu-

oculi aliquandò aperti præternaturaliter, nonnunquam clausi erant, quales in epilepticis apparere solent, stertebat, sudabat vehementer. Interea quia alvus eius erat adstrictior, ordinabam ei duo fortiora chysteria, quæ per intervalla ipsi applicabantur. Fiebat quoq; sectio venæ mediana in dextro brachio, sanguis effluebat ad unc. vj. Exhibebatur ei quoq; mithridatum, aqua cinamomi, pulveres corroborantes, &c. Atq; hæc omnia egroto nesciente fiebant. Circa horam septimam vespertinam iterum expergefactus incipiebat loqui, & melius statim habebat, nisi quòd de capitis sui doloribus, per multos consequentes dies conquereretur. Sanatus est, bonam dietam observando, & vinum vitando.

Lingux, & deambulationis
impedimenta.

CAPUT XXIII.

Octo

O Cto annorum virgo, ex subita quadam perterrefactione incidit in tremores, ac commotiones manuum ac pedum, sinistri praesertim lateris inordinatas, ita ut ambulare liberè non posset. Aderat capitis dolor, calor aliquando praternaturalis ipsam molestabat, linguam quoque exerere perfectè non poterat, idcirco difficulter ac impedite loquebatur. Appetitus cibi & potus semper manebat iustus. De nocte benè dormiebat. Durabat hic affectus per menses quinque ferè, licet usa fuerit varijs remedijs à peritis Medicina Doctores ipsi ordinatis, tum internis, tum externis. In dorsum per temporis intervalla dua cucurbitula cum scarificatione interdum apposita sunt. Bibit etiam sarsaparilla decoctum pro sudore, & pro quotidiano potu per mensem post uniuersalium praemissionem. Tandem ex improviso paulatim iterum, & expedite loqui, & rectè ambulare cepit.

De .

De imaginationis læsione.

CAPVT XXIII.

*Q*uidam nobilis ex casu de scala ebrius
 imaginatione hallucinabatur. Nam
 ad amicorum interrogationes, qui fre-
 quenter ipsum visitabant, minus appositè re-
 spondebat. Quærentibus enim quid comederit?
 respondebat: mihi nihil dolet. Quærentibus an
 dormierit? respondebat: non esurio. Sed in 14.
 dierum spacio, secta basilica dextri brachij, &
 per administrationem medicamentorum con-
 uenientium, tam internorum, quàm externorū,
 & per bonam dietam feliciter diuino adiutus
 auxilio, per IOANNEM MARIAM Nea-
 politanum Archiducis ERNESTI physicum,
 & me DIOMEDEM CORNARIUM sa-
 natus est.

De morbo Gallico ex cucurbitu-
 larum impositione contracto.

CAPVT XXV.

Senex

S Enex quidam 70. annorum, sano corpore existens, ingressus balneum, curauit suo dorso imponi 4. cum scarificatione cucurbitulas, quibus singulis mensibus ex longa consuetudine uti aliàs solebat. Finito balneo persensit pruritus quendam molestum in locis, ubi fuerant affixæ cucurbitule orichalcea, procul dubiò impuræ existentes, quæ immundiciem acquisuerant, ut ex coniecturis facile deprehendi potuit, ab homine gallica scabie laborante, cui antea impositæ fuerant. Prurigne durante per multos dies superuenit quædam humida scabies, postquam digitis scalpendo fricasset sæpius locos malè affectos. Inde progressu temporis gallico morbo correptus, præmissis uniuersalibus, decocto ligni g. uti coactus fuit. Sed sanatus est.

De fluxu hæmorrhoidali copioso.

CAPVT XXVI.

N Obilis dominus, postquam per 4. menses colica passione, epilepsia, paralyti brachiorum, vomitibus, cum obstructa

Dd

aluo

alio laborasset, ex nimia & intempestiva vini
 potione, praesertim Hungarici, crassioris substan-
 tiae existentis, tandem quodam die ex improviso
 absq; ullis doloribus, aut aliqua notabili corpo-
 ris debilitate, & fluxu alui sanguinolento, ex
 haemorrhoidum apertione oborto, & haemor-
 rhagia narium correptus fuit, imò melius quo-
 tidie inde habuit. Duravit fluxus alui per 4.
 dies, quibus nihil aliud ferè, quàm sanguinem
 purum cum grumis permixtū excernebat (gru-
 mi excernebantur cum sanguine ad nigredinem
 tendente, ea de causa, quia sanguis extravasatus
 erat, diuq; in intestinis retentus) Sedem in-
 terdum habebat compactam naturalem, nullo
 sanguine permixtam. Sanguis, quem per al-
 uum excrevit in quatrduo, fuit uniuersus cir-
 citer sex libras: Qui verò per nares effluxit
 quatuor vicibus una die, fuit circiter libras
 duas. Liberatus est absque remediorum as-
 sumptione ab his symptomatibus, nihilominus
 à conuocatis doctoribus PAVLO VVEID-
 NERO, CASPARO PIRCHPACHIO,
 & me

Et me DIOMEDE CORNARIO ordinata fuerunt remedia, nimirum sacculi parui ex floribus ros. rub. Et verbasci, Et folijs plantaginis, ac quercus preparati, qui imbuti in vinum rubeum chalybeatum Et calefactum applicabantur egroti ano. Interdum ad eandem intentionem fiebant suffumigia ad anum ex pulvere trochiscorum de caraba, pul. mastice, thuris, myrrha. Sed quia nec his remedijs usurpatis, fluxus haemorrhoidum cessabat, ideo injiciebamus chysteria per syringem orichalceam, v. g. R. decoct. in aq. chalybeata plantaginis, portulacae, ros. rub. foliorum quercus, fl. balauft. consol. maioris unc. iiii. adde pul. terra sigill. vel boli armeni, vel troch. de caraba dr. j. s. misce pro clyst. Applicabatur una vice, retinebat per horam quadrantem. Dorsum eius unguento Comitissa propter dolores ibidem per consensum ratione ligamentorum abortos, ungebatur. Edebat contusa assatorum pullorum, gallinarum, caponum, brodia amy. dulc. ptisanam, omnia cum aq. chalybeata preparata. Bibebat vinum

Dd 2 rube-

rubeum chalybeatum, & cum aq. cocta lymphatum. Utebatur inter cibos pulveribus terra sigillata, cornu cerui vsti, boli armeni. Hi pulvres miscebantur nonnunquam cum conserua rosarum rubearum antiqua, de qua accipiebat bolum absoluto prandio, & cœna. Sanatus est.

De annuli aurei deglutitione.

CAPVT XXVII.

Annulum aureum glabrum ex improviso octennalis puella deglutiuit, quem tertia die absq. ullius medicamenti assumptione, sine dolore per anum, unâ cum excrementis excreuit. Lege Aëtiū quaternione 3. ferm. 1. cap. 46. fol. 542.

De loquelæ amissione.

CAPVT XXVIII.

Obilis quidam dominus annorum 45. ex crebris potationibus, iracundia, refrigeratione extremorū, apa-

apoplexia correptus est, ita ut mutus per tri-
duum decumberet, apertis oculis, sed dextrum
brachium liberè eleuare, quemadmodum etiam
pedem dextrum non poterat. Post usum chyste-
ris, & unct. cum ol. lumb. terr. circa nucham
cepit iterum loqui, quamuis aliquando impedi-
retur eius lingua inuoluntariè. Conualuit, mul-
tis tamen diebus post percepit molestos circa
dextram aurem tinnitus & sibilos inconfuetos,
qui etiam progressu temporis remiserunt.

De morte subitanea.

CAPVT XXIX.

Egociator quidam extraneus ex luis
N pestifera lento inquinamento ante tri-
duum à contagio seu inspiratione con-
tracto, ex improviso in cæmeterio D. Petri Vi-
enne anno 1585. cecidit, & subito obiit, quum
tamen prioribus diebus inter homines, absq. cor-
poris insigni debilitate ambularet, pestemq. ce-
laret.

Dd 3

Deven-

De ventris, faciei, pedum, &
scroti tumore.

CAPVT XXX.

*Verò octennali in febre continua ex
P frigida potu intempestiue assumpto in
magna quantitate, venter totus, fa-
cies, & pedes, similiter & scrotum vehementer
tumefacta fuerunt, propterea vocatus MAT-
THES SCHRAAG barbitonsor & ciuis Vien-
nensis, vnxit scroti tumorem oleis chamomeli-
no, & anethino, deinde statim superimposuit pe-
tias lineas in decoctum mastice, myrrha, thu-
ris intinctas, & expressas, ter in die, atq; ita
scroti tumor in 14. dierum spacio, sine aper-
tione, euauit. Reliqui verò tumores per Me-
dicorum curam sanati fuerunt.*

De sex morborum generibus, quo-
rum vnus post alterum inuasit agro-
tum.

CAPVT XXXI.

Puer

Ver nouem annorum correptus fuit
 P mense Maio, anni Christi 1591. fe-
 bre continua, quæ per dies 14. labo-
 rauit grauiter cum siti intensa, capitis dolo-
 re, & vigilijs. Curata febre, secutus est
 fluxus dysentericus copiosus, post dysenteriam
 superuenit colica passio, cum excretionem fe-
 cum cinerici coloris, per multos dies in quan-
 titate incredibili, inde corpus agroti huius ve-
 hementer demacratum fuit, postea superue-
 nit tussis sicca, cum febre quasi hectica, venter
 quoque tumefactus est, hypochondrijs utrinque
 duris existentibus, tandem circa umbilici re-
 gionem, per crism collecta est materia puru-
 lenta, quod vlcus spontè ruptum est, atq; ope-
 ra Chirurghi mundificato pure, paulatim puer
 sanitati restitutus est.

1. Febris
continua.2. Dyse-
nterica.

3. Colica.

4. Hectica.

5. Tumor
ventris.

6. Vlcus.

De muliere grauida, quæ febre con-
 tinua superueniente, octauo imprægna-
 tionis mense peperit.

CAPVT XXXII.

Honestæ

H Onesta matrona, octavo ab impragnatione mense, corripitur febre continua, maligna, in diebus canicularibus, ex incandescencia. Hæc quarto die à febris principio, ex morbi vehementia, pariebat puellam, quæ vixit per unam atq; horam alteram, post partum letaliter decumbebat in æstu vehementissimo, siti intensa, & manuum tremore, quare sumptis granis quinq; lapidis bezoartici in aq. borraginis dissolutis, cœpit sudare mirum in modum, finito sudore calor præternaturalis cum reliquis molestis symptomatibus paulatim remisit, & quotidie melius inde habuit, ac sanata est.

De puero 14. annorum Hebræo, qui à pueris hominibus arreptus ex petulantia in stragulum proiectus, sæpius in altum eleuatus ac concussus fuit, vnde febricitare cœpit cum totius corporis doloribus, &c.

CAPVT XXXIII.

A Nno 1592. vocabar ad puerum Hebraum ex sanguinis sputo per os reiecto,

Et, hemorrhagiaq; narium iam modò defunctum. Sed quia ante me D. ANTONIVS BINELLVS, & AVGVSTINVS MASSA aula Caesaris Medicus ad curandum hunc puerum vocati fuerant, casum mihi pro tempore Collegij Medici Decano, ex sacri Caesarea Maiestatis Regiminis decreto, ut certior fieret, quo morbo hic Hebraeus obijisset, retulerunt ambo Doctores in scriptis, ut sequitur:

Speetabilis domine Decane, domine observandissime, &c.

Symptomata, quae in adolescente 14. annorum suae aetatis Iudaeo, quem semel tantum visitavi, deprehendere potui, fuerunt vomitus continuus, aquosus, & subcimericius, magna totius abdominis tensio, & inflammatio, in qua parte quum tangeretur, de dolore vehementer conquerebatur, aderat virium summa imbecillitas, inquietus decubitus, & facies omnino cadauerosa. His indicijis proxima mortis perspectis, recusabam ei medicamenta pra-

Ee

scri-

scribere, tamen quia me rogabant eius parentes,
pulveres margaritarum preparatarum, & co-
rallorum preparatorum cum modico mumie
in iusculo dandos esse consului, item emplastrum
ad cohibendum vomitum, & pro abdomine in-
flammato olea anodyna prescripsi. Hæc sunt,
quæ vidi, & quæ quasi iam morituro ordinavi.
An verò adolescens ille Judeus ex projectioni-
bus sursum factis? an verò ex mala curatione
(siquidem insigne præsidium venæ sectionis, ad
prohibendam inflammationem, & fortassis
multa alia rationabiliter administranda, ne-
glecta erant, & adhibita alia remedia, quæ nul-
la ratione conveniebant) obierit, reuera me la-
tet? In hoc casu essent, meo iudicio, inspiciendæ
adhibitorum medicamentorum descriptiones.
Corporis huius sectionem, si adhuc insepultum
adeſt, ad assequendam rei veritatem, haud in-
utilem fore putarem.

Antonius Binellus D. Me-
dicinæ, Professor Viennæ
15. Decembris, anno Chri-
ſti 1592.

Nobili

Nobili ac magnifico domino
DIOMEDI CORNARIO,
 REGIS MAXIMILIANI
 Medico.

Go. A. G. V. S. T. I. N. V. S. M. A. S. S. A
 E aule Cæs. Medicus quendam puerum
 Hebraum ætatis 14. annorum in le-
 cto iacentem duodecima præsentis mensis De-
 cembriis visitavi, qui maxima febre labora-
 bat, ac totius corporis doloribus, & præser-
 tim ventris cruciabatur: & duricies, ac ten-
 sio magna in eodem ventre percipiebatur.
 Aderat etiam assiduus vomitus, & stomachi
 dolor. Cum ergo diligenter interrogarem, quæ
 causæ prius præcessissent, eundem puerum cum
 stragulo quodam in altum sæpius eleuatum,
 ac concussum fuisse mihi relatum fuit, qui-
 bus auditis præcedentes causas suprà dicto-
 rum affectuum, has esse existimaui. Et
 quum virtus esset adhuc prostrata, malè de
 ipso prognosticando, nullum remedijs locum
 esse iudicaui, quamuis nonnulla, sed leuia præ-

Ee 2 scri-

scripsim. Sequenti die eiusdem mensis eundem
puerum mortuum inueni, ab ore cuius, & nari-
bus magna sanguinis copia effluxerat, quae in ea,
quam prius habueram de morbo, & eius cau-
sis, opinione me confirmauit. Sanguis enim iste,
vel ab inflammatione ventris, vel ab aliqua in-
terna vena rupta effluere iudicandus est, alter-
utra verò à concussione originem habuit. Hac
Ex^a. V^e. ut satisfaciam scribere volui, cui me
plurimum commendo. Decima quinta mensis
Decembris, 1592.

promptis.

Augustinus Massa aulæ
Cæs. Medicus.

ELEN-

ELENCHVS

Autorum in obseruationibus medicinalibus denominatorum.

AETIVS Medicus Græcus.

ANTONIVS BINELLVS.

AVGVSTINVS MASSA.

BENEDICTVS VICTORIVS Fauentinus.

CASPAR PIRCHPACHIUS.

GEORGIVS VVALTHER.

HIERONYMVS CAPIVACCIUS.

HIERONYMVS STROMAIR.

IOANNES KENTMANNVS.

IOANNES MICHAEL SAVONAROLA.

IVLIVS ALEXANDRINVS.

IOANNES CRATO.

IOANNES AICHOLTZ.

IOANNES MARIA Neapolitanus.

LAVRENTIVS SCHOLZIUS.

MARIANVS STEPHANELLVS.

MATTHES SCHRAG Chirurgus.

PAVLVS VVEIDNER.

PETRVS MONAVIVS.

PETRVS PAVLVS PEREDA.

Ec

3

ELEN-

ELENCHVS

CAPITVLM IN PRAEMEDI-
TATIONIBVS OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM CONTEN-
TORVM.*Prior numerus caput:**Posterior solum denotat.*

- De calculis pedum. cap. i. fol. 3.
 De calculis intestinorum. c. 2. f. 4.
 De febre quartana. c. 3. f. 4.
 De febre continua, Hungarica vulgò dicta. c. 4. f. 8.
 De febre ardente cum phrenitide. c. 5. f. 10.
 De febre epidemica populariter per vniuersum orbem
 terrarum grassante. c. 6. f. 11.
 De muliere, quæ tempore puerperij loquelam amisserat.
 c. 7. f. 13.
 De loquelæ amissione. c. 8. f. 15.
 De quodam angina latente correpto. c. 9. f. 16.
 De veterno. c. 10. f. 17.
 De aquæ venenatæ potu. c. 11. f. 18.
 De cancro in labro inferiori oborto. c. 12. f. 19.
 Vulnerato quomodo succurrendum, vt eius vulnus sal-
 tem per ensis vñctionem consolidetur. c. 13. f. 20.
 Aliud in eundem vsum vnguentum. f. 28.
 De casu cum equo. c. 14. f. 29.
 De casu de tecto. c. 15. f. 30.
 De calculo è muliebri pudendo absq; sectione extracto.
 c. 16. f. 31.

De

De calculis in vesica ruptis, & sanguinis mīctū. c. 17. f. 32.

De calculis pulmonis. c. 18. f. 34.

De vesicæ calculo grandis magnitudinis in puero vñ-
decim annorum. c. 19. f. 34.

Intestinorum, & vesicæ perforatio per anum facta. c. 20.
f. 35.

Vrinæ retentio ad 14. diem. c. 21. f. 36.

De vertigine, cui veteris superuenit. c. 22. f. 37.

Linguae & deambulationis impedimenta. c. 23. f. 38.

De imaginationis lēfione. c. 24. f. 40.

De morbo Gallico ex cucurbitularum impositione
contracto. c. 25. fol. 40.

De fluxu hæmorrhoidali copioso. c. 26. f. 41.

De annuli aurei deglutitione. c. 27. f. 44.

De loquelæ amissione. c. 28. f. 44.

De morte subitanea. c. 29. f. 45.

De ventris, faciei, pedum, & scroti tumore. c. 30. f. 46.

De sex morborum generibus, quorum vnus post alte-
rum inuasit ægrotum. c. 31. f. 46.

De muliere grauida, quæ febre continua superueniente,
octauo imprægnationis mense peperit. c. 32. f. 47.

De puero 14. annorum Hebræo, qui à peruersis homi-
nibus arreptus ex petulantia in stragulum proie-
ctus, soepius in altum eleuatus ac concussus fuit,
vñdē febricitare cœpit cum totius corporis dolo-
ribus. c. 33. f. 48.

INDEX

in observationes medicinales

conscriptus.

A.

A Nabaptiste pseudomedi-
cicula inepta 9

Annuli aurici deglutitio 44

B.

Bezoartici lapidis exhibitio
in febre continua prodest 48

C.

Calculi in intestinis aliquan-
do generantur 4Calculi nati in pedum digi-
tis 3Calculus oui gallinae instar in
muliere natus 32

Cordis leporis preparatio 6

Cordis leporis in quartana
exhibitio 5

F.

Febris epidemica 11

I.

Ieiunium sex dierum 18

Imaginationis lesio 40

L.

Loquela amissio 13

Loquela iriduans defectus 45

M.

Mors subitanea 45

P.

Podagra causa 3

Q.

Quartana contumax 7

S.

Sudor diaphoreticus 11

V.

Vena sectio fiat in nouilunio
quartanarijs 7

Veterinus 17

Urina retentio per 14. dies 36

Vnguentum vulnerarium 20

Vnguentum pro unctione
ensis 28Finis indicis observationum medi-
cinalium.

ADMI-